



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

§. 3. In Valesiis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

gione tempestates, & aquis tota redundabit. Ad eum venit Vadianus ductus à pastore qui ab eo priùs sacramentum exegerat se nihil proiecturum, nam capite multantur qui id tentare ausi fuerint. Accepit insuper ab eodem pastore, vulgari famâ celebrari quotannis hîc apparere Pilatum iudicis specie, sed eos annum vivendo non explere qui cum viderint: nihil est ausus iniicere auctor. *Vadianus in Melam.*

Sed tradit Gretserus, P. Crendelium, venisse ad eum lacum cùm Lucernæ versaretur, multos iniecisse lapides sine ullo indicio pluuiæ, aut tempestatis.

### §. 2. In Grifonibus.

Ad vicum Plurium *Pleurs* faxa effodiuntur, ex quibus tornantur lebetes ad usum coquinæ, magni pretij in Italiâ, quia si venenum iniiciatur ebullit illicò ad ignem, & ex lebete exilit. *Iosias Simlerus in Rep. Helvetiorum.*

Mons vnde hæc faxa eruuntur aliquando in urbem subiectam ita cecidit, ut totam obtruerit, fluuiūmque Pluriam urbem interfescantem in lacum commutarit. *Sprecherus in Pallade Rheticâ.*

In Rhetiâ apud Fauarias fons est aquarum calidarum inter rupes eminentissimas, qui cùm deficiat mense Octobri redit mense Maio, sicque rursus usque ad Autumnum exuberat ut frumentarium molam versare possit. *Georgius Vernherus de aquis Hungarie.*

### §. 3. In Valesiis.

Ad urbem Leuciam *Leuck*, aquæ etiam leprosis salutares, & multis aliis morbis, sed prægnantes fæminæ si eas ebiberint, aut iis se eluctint, id non sine periculo præstant. *Simlerus.*

Idem & dicitur de aquis ad Brigiam, quas fæminæ prægnantes numquam impunè biberunt, sed fortè eadem cum superioribus. *Auctor lib. de Rebus. & Imperiis.*

Versus Alpium altissima iuga in Valesiis effoditur glacies, quam Sol feruentissimus Augusto mense non potest dissoluere. *Iosias Simlerus.*